INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXLIII

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLIV

HABENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Za pozwoleniem Cenzury Rządowéj.

LEO LAURYSIEWICZ

UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE CRACOVIENSIS

RECTOR

CUM

SENATU ACADEMICO

CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S.

Saepenumero evenit, Adolescentes ornatissimi, ut homines indigni, quorum vitae ulla exstent vestigia, sempiterna memoria fruantur; dum virorum insigni pietate eximiaque doctrina conspicuorum nomina in obscuritate delitescant. Nostrum igitur, qui pietatem colimus doctrinaeque studiosi sumus, officium hoc est, ut, qui memoria sunt digni, eos e tenebris in lucem protractos ab oblivione vindicemus. Quod quidem ut a nobis praestetur, de Stanislao Marenio, Professore olim Universitatis nostrae nobilissimo, quae ex monumentis cognovimus, Vobiscum communicare statuimus.

Stanislaus, de quo agimus, agricolae filius fuit, Gregorii Twardy, ut acta rectoralia demonstrant (a. 1580 pag. 9); sed more illius temporis, quum a. 1558 Rectore Nicolao Szadek numero civium Academiae nostrae adscriberetur, a loco natali Marzenin (quae villa prope Gnesnam est) nomen Marenii (Marzeński) accepit. Discendi habuit socios claros vario doctrinae genere viros, Stanislaum Rescam (Reszka), Erasmum Gliczne-rum, Jacobum Wujek et Stanislaum Jacobejum. Philosophicis primum

studiis operam dicavit, tam prospero successu, ut jam anno **1566** in collegium, quod tum dicebatur minus, receptus sit, et tribus annis post praepositura collegii majoris ornatus. Tum ad Theologiam potissimum ingenium contulit, et anno **1575** primum in Academia hujus studii gradum adeptus (baccalaureatum videlicet), in numerum docentium receptus est: neque eo contentus, tertio post anno disputationem publicam praesente Rege Stephano et magno Senatorum coetu quatuor horarum spatio instituit; in qua miram ingenii dexteritatem et doctrinae copiam ostendit thesim defendens *circa primatum Petri;* anno denique sequenti *pro adimplendo cursu secundo* disputavit (*), et coetui Doctorum adscriptus est. Neque tamen diu honore hoc est gavisus, ut qui jam anno **1580** mense Septembri diem obiit supremum labore et vigiliis confectus.

Quamquam Marenius inter theologos nomen suum professus erat, longe tamen abfuit ab illa pusillorum ingeniorum superstitione, quae rerum divinarum contemplatione abrepta omnem humanam sapientiam spernendam et contemnendam putant: antiquarum certe literarum amore mire flagrabat, linguarumque non graecae modo atque latinae (quod illis temporibus vulgare erat), sed et hebraicae peritissimus habebatur; orator insuper subtilis et poeta egregius, Homeri Virgiliique in versibus pangendis felicissimus imitator. Quod quidem viri docti aequales Marenii uno ore fatentur. Ac primum Glickius in Ephemeridibus sic habet: „linguarum latinae, graecae, hebraicae peritus, orator et poeta.“ Broscius addit: „Vir fuit doctissimus graece, hebraice, latine.“ Praeclaides (Przecławski) in opere illo, quo famam Academiae Cracoviensis ab obtrectationibus malevolorum vindicat (**), de Marenio scribit: „Quis enim, ut e recentioribus commemorem nonnullos,.. trium linguarum cognitione clarior Marenio?“ Sed

(*) Vide Glickium in Ephemeridibus Leovicii.

(**) Vindiciae scripto in Academicos F. Stanislai Zakrzewski Ord. Can. Reg. ad nuncios municipales oppositae Cracoviae 1613 18 Febr. in officina Matthiae Andreoviensis.

quid opus testimoniis veterum, quum nobismet ipsis ea de re judicandi libera sit facultas? Exstat enim liber manu Marenii ipsius maximam partem conscriptus (***), cura M. Adami Hiacynthi Draski Collegae majoris et linguae graecae ordinarii Professoris ab interitu vindicatus, foliis 442 forma octonaria minori constans, signo bibliothecae DD. XI., 1. notatus, cujus argumentum hic Vobis indicare operae pretium duximus.

Initium exhibet orationem dominicam et symbolum apostolicum lingua hebraica expressum. Sequuntur orationes precariae numero 64 graecae; quarum binae in hebraicam quoque linguam translatae. Excipit Evangelium Nicodemi carmine graeco scriptum, 2420 hexametris constans; Reliquam libri partem complent carmina varii argumenti et vario metrorum genere concinnata, tum graeca, tum latina, cuncta tamen ita comparata, ut non ingenium modo poetae, sed et pietatem in Deum hominesque clare demonstrent: siquidem aut Christi Deiparaeque Virginis laudes praedicat, aut cognatorum, collegarumque et amicorum mortuorum memoriam concelebrat (v. g. Joannis Leopoliensis, Gregorii Samboriteni, Stanislai Grepscii, et aliorum), aut denique adolescentibus bonarum artium studiosis salubria tradit vitae instituendae praecepta. Qua quidem in re ita plerumque versatur, ut non ipse praecipiat, sed umbras mortuorum loquentes inducat; ut in illo carmine, quo umbra Dobrosielskii haec monet: Prudenter ac sobrie vivendum; turpia et injusta vitanda; tempore vitae parce utendum; fugienda pravorum consortia, quibus negatus sit aditus ad vitam beatam; in omnibus, quae agamus, quaeque sive prospera sive adversa experiamur, Dei nos memores esse debere, cui placuisse summa sit virtus decusque; siquidem nihil esse, quod nos beatos reddere possit, nisi solum

(***) Conjici hoc potest e nomine ipsius manu adscripto iis libris, quos graecos atque latinos bibliothecae Universitatis permultos donavit, grati erga matrem hanc suam animi documenta edens; ut jure a Bandtkio (in historia bibliothecae pag. 60) ob liberalitatem hanc suam viris de bibliotheca optime meritis adnumeretur.

Deum, qui sit et lux, et sol, et aether, principium, medium et finis; hunc igitur nosse curandum, etiamsi ignoremus reliqua. — Sed jam ipsum carmen cognoscite.

Πέπνυσο. μηδ᾽ ἀισχροῖς φρένα τέρπεο μηδ᾽ ἀδίκοισιν,
Νῆφ᾽. ὧν ὀικονόμος κεδνὸς ζωῆς τε χρόνου τε.
Σοί δ᾽ἐγὼ ἐυφρονέων ζωοθήσομαι ὕιαπες ἀυτός
Ὀυ δυσκλῶν ὀυδ᾽ ἀφράζων μαθον ἀλλάγεν ἐσθλῶν.
Μάνθανε δὴ θνήσκειν καὶ ζῆν κατὰ κόσμον ἀρίστως
Ἀνδράσι μηδὲ κακοῖς προσομιλεῖν, ἐισὶ δε λοιγός.
Ὀυδέγεν ἐν μακάρων νήσοισι νάουσιν ἄμορφοι.
Καὶ μετὰ πῖνε Θεῷ, και ἔσθιε, καὶ μέτα τῶγε
Ἴζε, καὶ ἑῦδε, τρέχων, χαίρων, κλάζων τε φραδῶν τε.
Δὴ μελάλη δύναμις Θῷ ἀρέσκειν, δόξα καδιστή.
Ὀυ γαίη δείλοισι βροτοῖσι πατρὶς καλὴ ἔσται,
Ὀυ χρυσὸς φῶσιν σωτηρία τ᾽ἄργυρος ὀυδὲ,
Ἀλλὰ Θεὸς κόσμου κτίστης, φῶς, ἥλιος, ἀιθὴρ,
Ὅς τέλος, ὅς ἀχθὴ τε μέσον καὶ πάνταγε πᾶσιν,
Ἔιδέναι ὅν ἀρκεῖ, καὶ ἄρ μάλα λοιπ᾽ ἀμελήσεις.

En igitur Vobis, Adolescentes ornatissimi, viri praeclari exemplum, qui, quod initio scholarum Vos monituri eramus, eleganti carmine expressit. Hujus memoriam colite, doctrinam aemulamini, pietatem imitamini; ut, quemadmodum nos Marenium nunc ab oblivione vindicare conamur, ita Vos quoque posteri non indignos censeant, quorum memoria celebretur. Valete.

ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P.

Auditoribus anni tertii Theologiam Pastoralem, Catecheticam, Didacticam, Eloquentiam sacram, simulque artem naturaliter mutos surdosque tractandi et instituendi sequenti ordine tradet: Semestri hyemali diebus Lunae et Martis ab hora 9—10 Theologiam Pastoralem, a 10—11 Catecheticam; Diebus Veneris et Saturni ab hora 10—11 Theologiam Pastoralem, ab 11—12 Catecheticam, nec non ab hora postmeridiana 2—3 Theologiam Pastoralem duce Povondra; Semestri aestivo iisdem horis et diebus, Eloquentiam Sacram duce Skidełł, Didacticam duce Veincopf, atque artem mutos surdosque tractandi duce Czech.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. O. P. FACULTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANUS.

Institutiones Dogmaticas auditoribus anni secundi diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12, duce Klüpfel; Ethicas vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 10—11, duce Stapf, profitebitur.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. O. P.

Historiam Ecclesiasticam et Patristicam, auditoribus anni primi in utroque semestri, diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 10—12; diebus vero Martis, Jovis et Saturni ab hora 11—12 explanabit.

FELIX SOSNOWSKI

S. TH. D. P. O. P.

Archaeologiam et Hermeneuticam auditoribus anni primi, semestri hyemali, diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 8—9 duce Ackermann et Alber; Linguam Hebraicam et Syro-haldaicam, diebus Martis et Mercurii ab hora 9—10 per utrumque semestre, duce Jahn et Oberleitner; semestri aestivo Exegesim SS. Librorum Veteris Foederis, diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 8—9, duce Calmet; Introductionem in Libros Veteris et Novi Foederis, auditoribus anni secundi, semestri hyemali diebus Martis et Mercurii ab hora 8—9, die vero Saturni ab 9—10, duce Ackermann et Alber, semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesim Novi Foederis, nec non semestri hyemali die Lunae ab hora 9—10, Linguam Arabicam, et semestri aestivo, eadem hora et die Exegesim sublimiorem docebit.

Auditores anni primi praelectionibus Paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus Juris Canonici interesse tenentur, secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM.

FERDINANDUS KOJSIEWICZ

J. U. D. P. P. O. FACULTATIS JURIDICAE H. T. DECANUS.

Oeconomiam politicam, et jus naturae privatum, publicum et gentium, auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9, et diebus Martis, Jovis et Saturni ab h. 9—10, duce Zeiller, Martini, Say et Skarbek; auditoribus vero anni secundi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. 10—11 Politiam et notitiam

status rerum publicarum, juncta reditus publicos tractandi arte, duce Lotz, Rau et Schnabel, tradet.

ADAMUS KRZYŻANOWSKI

J. U. D. P. P. O.

Jus civile mercantile et processum extrajudicialem auditoribus anni tertii per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni ab hora 8—9, et diebus Lunae, Mercurii et Saturnii ab hora 9—10, duce Delvincourt et Locrée praeleget.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O.

Historiam Juris Romani et Institutiones auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Saturni ab h. 8—9, duce Bacchio et Heineccio, — Jus ecclesiasticum auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Veneris et Saturni ab h. 9—10 secundum suum opus, cui titulus: *Institutiones juris ecclesiastici* typis editum; Pandectas auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, ab h. 8—9, diebus vero Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10, duce Westenbergio e propriis shedis interpretabitur.

ANTONIUS MATAKIEWICZ

J. U. D. P. P. O.

Leges fundamentales civitatis auditoribus anni primi semestri hyemali diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab hora 9—10, juxta vigentia hac in re statuta ac rescripta, semestri vero aestivo jus criminale tam theoreticum, quam positivum austriacum

et polonum iisdem horis exponet.—Auditoribus autem anni tertii processum civilem judicialem per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 9—10, et diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab hora 10—11 explicabit, juxta codices obligantes et eorum commentatores.

ORDO MEDICORUM.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. P. P. O. FACULTATIS MEDICAE H. T. DECANUS.

Hodegeticen medicam duce Friedlaendero auditoribus anni primi, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris semestri hyemali ab hora 3—4, tradet. Qua finita iisdem horis auditoribus anni tertii Pathologiam generalem praeeunte Starkio per utrumque semestre exponet.

Pharmacodinamicen una cum arte formulas medicas concinnandi e propriis schedis, Therapiam generalem duce Conradio, et Diaeteticen duce Wildbergio, per utrumque semestre auditoribus anni 3tii diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9 explanabit.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis scriptis duce Hildebrand et Reimann, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 9—10; Praxin medicam iisdem diebus ab h. 10—11, docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. P. P. O.

Pharmaciam diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 7—8, duce Geiger,— Chemiam generalem, nec non practico-forensem, duce Berzelio, Dumas et Hünefeld, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 8—9, per utrumque semestre, auditoribus anni primi et secundi nec non chirurgis inferioris ordinis exponet.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PHIL. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis, duce Chelio, per utrumque semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 11—12; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni iisdem horis; Praxin chirurgicam per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 12—1 docebit.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam, duce Bock, auditores anni 1mi per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 10—11, Physiologiam, duce Müller, auditores anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 2—3 docebit.

Exercitationes anatomico-practicae a mense Octobri ad Aprilem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 9—10, et 2—3, auxiliante Adjuncto a Candidatis instituentur.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. D. P. P. O.

Elementa Psychologiae et Logices, Physiologiam et Pathologiam generalem, elementa Physices, Therapiam generalem et Pharmacodynamicen, Pathologiam et Therapiam specialem, Chirurgis inferioris ordinis explicabit in utroque semestri diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab h. 8—9 et 3—4.

FRIDERICUS HECHEL

M. ET CH. D. P. P. O.

Medicinam forensem et Zoagriam praeeuntibus Henke, Bernt et Orfila hyemali semestrio diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora 8—9;

Politiam medicam ducibus J. P. Frank, Bernt et Nicolai, aestivo semestrio iisdem diebus et horis;

Historiam Medicinae et Chirurgiae e propriis scriptis ducibus Sprengel et Hecker utroque semestrio iisdem diebus hora 2—3 pomerid. exponet.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae auditoribus anni tertii, nec non feminis artem obstetr. discentibus semestri hyemali, ducibus Froriep et Carus, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10,— doctrinam de morbis feminarum duce Joerg auditoribus anni quinti semestri hyemali diebus Martis et Jovis ab h. 3—4, iisdem vero horis semestri aestivo de morbis infantum ducibus Henke et Wendt exponet. — Praxin artis obstetriciae, auxiliante Adjuncto, auditores anni quinti nec non feminas arti obstetr. va-

cantes docebit per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni ab hora 7—8.

IGNATIUS CZERWIAKOWSKI

M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Historiam naturalem universalem auditoribus anni 2di Philosophiae per utrumque semestre diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 10—11;

Mineralogiam et Zoologiam auditoribus anni primi Medicinae semestri hyemali diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12, duce Berzelio, Leonhardo et Oken; semestri aestivo iisdem auditoribus Botanicam generalem et specialem duce Richard et Winkler diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 6—7, explanabit.

LAURENTIUS DOMAŃSKI

M. ET CH. D.

Medicinam veterinariam theoreticam et practicam quotidie ab hora vespertina 5—7, ducibus Gurtl, Hayne et Schwab docebit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PHIL. D. P. P. O. FACULTATIS PHILOSOPHICAE H. T. DECANUS.

Doctrinam physices auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Saturni ab h. 9—10; praeterea quotidie semestri hiberno h. 2—3 pom., semestri vero aestivo h. 7—8 matut. exponet.

JOSEPHUS JANKOWSKI

PHIL. ET J. U. D. P. P. O.

Psychologiam et Logicam auditoribus anni 1mi semest. hyem. diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni ab h. 8 — 9,
Ethicam auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 8 — 9, die vero Veneris 9—10,
Historiam philosophiae auditoribus anni 2di per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab hora 9 — 10 tradet.

MAXIMILIANUS WEISSE

PHIL. ET J. U. D. P. P. O. OBSERVAT. ASTRON. DIRECTOR.

Mathesim sublimiorem anni 2di diebus Martis, Jovis et Saturni, ab hora 10—11, duce Burg, Ettingshausen et Poisson tradet.
Astronomiam per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni ab hora 11—12, duce Santini et Littrow docebit.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PHIL. D. P. P. O.

Octies per hebdomadem tradet literas latinas et polonicas: auditoribus anni secundi diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni hora matut. 8 — 9; auditoribus anni primi iisdem diebus semestri hiberno hora 9 — 10, semestri aestivo hora 7—8. Et polonicas quidem literas exponet e suis schedis; historiam liter. latin. ducibus Matthiae et Passow; antiquitates Romanorum ratione ac via a Creuzero monstrata.
Idem aestivo tempore binis per hebdomadem horis postea designandis praecepta styli cultioris extra ordinem exponet.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. P. P. O.

Historiam universalem auditoribus anni 1mi diebus Jovis, Veneris et Saturni ab h. 11—12, auditoribus vero anni 2di diebus Lunae, Martis et Mercurii ab h. 11—12; Historiam literariam universalem duce Wachler, auditoribus quibuscunque per utrumque semestre diebus Martis et Jovis ab h. 3—4 tradet.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PHIL. D. BIBLIOGRAPHIAE P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 3—4 profitebitur.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PHIL. D. MATH. ELEM. P. P. O.

Tradet Arithmeticam, Algebram, Geometriam, Stereometriam, Trigonometriam et Sectiones conicas, semestri hiberno diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni h. 10—11, diebus vero Martis et Jovis hora 9—11 et insuper die Lunae hora 3—4 pom.; semestri autem aestivo diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 9—11, diebus vero Martis, Jovis et Saturni h. 9—10.

FELIX SOSNOWSKI

S. T. D. PROF. V. A.

Doctrinam religionis auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Martis et Jovis h. 8—9; auditoribus vero anni secundi die Martis h. 3—4 die Jovis h. 10—11, duce Frint;

Paedagogiam per utrumque semestre diebus Veneris et Saturni ab h. 4—5, duce Milde;

Linguam Graecam per utrumque semestre diebus Lunae et Mercurii ab h. 4—5 tradet.

Adjuncti Professorum Facultatis medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii.

Isidorus Duczyński Ph. et J. U. D. Adj. Directoris Observatorii Astronomici. Hic tradet Math. sublim. anni 1mi diebus Lunae, Mercurii et Veneris per utrumque semestre ab h. 11—12, ducibus Burg et Ettingshausen.

Franciscus Brodowski M. D. Adj. Directoris instituti medico-clinici.

Josephus Jaszczurowski M. D. Adj. Directoris instit. chirurgico-clinici.

Franciscus Bulikowski M. D. Adj. Professoris artis obstetriciae.

Joannes Sadkowski Adj. Prof. Anatomiae.

Ignatius Kozubowski Candid. Pharmaciae Adj. Professoris historiae naturalis.

Adjuncti Prof. Chemiae et Adjuncti Prof. Physices munera vacant.

Linguam Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre quotidie h. 5—6 pomer.

Linguam Gallicam Franciscus Aubertin hora 6—7.

Linguam Rossicam Hieronymus Mecherzyński hora 2—3, docebunt.

Lectorium in Bibliotheca publica Universitatis semestri hyemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6; — Observatorium Astronomicum horis 3—6, diebus Jovis et Solis; — Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12; — Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12; — Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab h. 1—4 tempore hyemali, aestivo vero ab h. 3—6; — Hortus Botanicus quotidie, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea, Bibliothecam et Observatorium invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.